



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopvs Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Decimum quartum. De Sacerdote diebus quindecim coeco &
postmodum restituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Caput Duodecimum. A*De viro Nobili à morbo caduco liberato.*

Nobilis à morbo ca-
duco libe-
ratur.

HENRICVS de Calenmunt, vir nobilis, cùm diu vexatus esset morbo comitali, die quodam in sacello stans, & de miraculis beati ENGELBERTI cogitans, humi se prostravit, crebroque rogavit sanctum martyrem, vt à Domino sanitatem sibi impetraret. Inde surgens, sensit insolitam quandam corporis allevationem, ita vt deinceps vsque in præsens, nihil ab illo morbo molestiæ acceperit. B

Notatio ad Caput Duodecimum.

Kalenmüt.
Putzfeld.

KAlemunt quod appellat manuscrip. domicilium est nobile Putzfeldiorum haud procul Steinfeldia.

Caput Decimum tertium.

De Paralytico curato. C

Paralytici
curatio.

HOMO paralyticus cùm ad sepulchrum eius duabus ferè horis orasset, & martyrem attentissimè deprecatus esset, relictis illic scipionibus, quibus aduenerat, suis pedibus lætus abscessit.

Notatio ad Caput Decimum tertium.

Hoingen.

EX manuscrip. discimus hominem hunc fuisse ex Hoingen. Hoingen autem pagus est sarrapiæ Hilchrodanæ non longè à Knechtstadiensi Abbatia situs. Nisi fortè sit vicus D Rheno incumbens sub Argenselsio Comitum Henburgicorum. Verum is non Hoingen sed Hoeningen appellatur. Manuscrip. Monasteriensis ex Eiffia dicit. *Homo quidam ex Hegen.*

Caput Decimum quartum.

De Sacerdote diebus quindecim cæco & postmodum restituto.

SACER-

SACERDOS quidam quindecim dies cæcus, vouit se visitaturum martyris ENGELBERTI sepulchrum, & in altari, quod est ad caput eius, Missam defunctorum celebraturum. Mox à voto nuncupato redijt lumen, & ille fecit, quod promiserat.

Notatio ad Caput Decimum quartum.

Sacerdotem hunc fuisse ordinis Præmonstratensis Religiosum, & in Nobili cœnobio Heinesbergensi, quod subest curæ Abbatis Knechtadensis, Præpositum vel Sacellanum egisse manuscrip. innuit: ita enim ait: *Sacerdos quidam de Heinesberg ordinis Præmonstratensis.* Quamuis, vt apparet, mendosa sit illa capitis inscriptio, de sacerdote de Hemersberg.

Heinsberg

Hinsbergum vero siue Hinsberga in antiquis Schedis Mons Caballinus nuncupatur. Viderur enim, si nominis etymologiam spectes, ab equo & aggesto ab eodem monte deriuari; quamuis Streithagenus quasi Henrici Montem dictum suspicetur. Aliquibus etiam manuscriptis, Heinonis Mons appellatur. Oppidum est in extremitate terræ Iuliacensis, qua septentrioni obijcitur, & in confinio Geldriæ, duobus milliariis Ruremunda distitum; Dominorum gloria, Ciuium priuilegijs, æris temperie & situs amœnitate nulli postponendum. Circuitu ad vnus circiter horæ spatium vrbs eius amplitudo clauditur. Deflectit leuiter ab oriente in septentrionem & planum in paludes, quod de Anxure Liuius ait, formam oblongam præbet.

Templum D. Gangolphi in cliuò exurgit, cui castrum in altero aduerso respondet; vtrumque altissima turri longè lateque conspicuum. Castrum insigni Canonicorum Collegio ab Oda Heinsbergi Domina circa annum 1140. fundato condecoratur. Sub annum 1150. in oppidi vmbilico. Gosvinius II. Heinsb. D. & Aleidis Palatina Sommersbergensis ipsius